

I, N. D. O. M.

INDUSTRIA PHILOSOPHIÆ,

Quæ

Cujusvis sectæ adversarijs sive stat^o per compendium
iri obviam potest, ac multæ difficultates unà
in disceptationibus feliciter superari;

Ostensa, &

LOCO DISPUTATIONIS ORDINARIÆ
proposita in Regia Acad, ad Auram.

P R Æ S I D E

M. ENEVALDO SVENONIO,
Gyldenh: Al. Eloq. Prof. Ord:

R E S P O N D E N T E

N I C O L A O GyllenStålpe /

M. F.

*Ad diem 13. Decemb. A. g. 1656. hor. mat.
locoq, in sacrario recepto.*

M. A B O Æ

Excusa à PETRO HANSONIO Acad. Typ.



Nobilissimo ac Consultissimo VIRO,

DN. MICHAELI Gyllenstälpe/

De Jacoila & Kerrenheim/I. U. q; Doctori, ejusdem-
que, simulac Politices & Historiarum in Regia

CHRISTINEA Academia, ad Auram
scilicet, Professore Publico excellentissimo,

Parenti suo æternum reverendo

ac suspiciendo,

U T E T

Praclarissimo ac Pereximio

DN. M. OLAO O. WEXIONIO,

Politices atq; Historiarum Professore Publico in Re-
gia GUSTAVIANA Academia Dorpatensi,

Patruo atq; promotori suo plurimum

honorando.

D. D. D.

NICOLAUS GyllenStälpe/

AM. F.

THESES I.

Philosophia est cognitio naturalis
 tum creaturarum, visibilium & invisibili-
 um, tum etiam creatoris Dei, eaq; non tan-
 tum *ἐπιτηρησις*, h. e. acquisita sensibus
 & aspectu cœlorum, operumq; manuum
 ejus enarrantium divinam majestatem & gloriam; sed
 & *ἐμφυσις*, ac o. hominum mentibus innata &
 congenita, ut eò minùs excusentur olim *ἄθεοι* ac Epi-
 curi. Statuat intereà quicquid velit Aristoteles suo u-
 niversali pronunciato magis quam axiomate, quippe
 revera est particulare: *Nihil est in intellectu, quin prius fuit
 in sensu.* Criminentur etiam quantumcunq; volent
Socini fratres, qui existentis Dei notitiam naturalem in-
 ternam aveſtantur ac perperam respuunt.

II. Hanc sapientiam homo non facit vel fingit à
 seipſo; non n. Philosophia est cerebri humani inven-
 tum aut figmentum, sed saltem apprehendit, indagat, in-
 quirat suisq; præceptis in lucem profert id quod in rebus
 ipsis delitescit, veritatēq; in mediâ Philosophiâ retrusam
 & abditam industriâ suâ ac improbo labore assequitur.

III. Scilicet mensurari debet intellectus noster à
 rebus quas cognoscit, non verò vicissim, etenim res co-
 gnoscere debet prout extra suam operationem existunt,
 ita ut intellectio ipsis rebus conformari; non vero ipsæ
 res ad intellectum aptari debeant: omnis quippe co-
 gnitio est assimilatio inter objectum cognitum & po-
 tentiam cognoscentem. Conf: Arist: l; 3. de anima c. 7. Et
 Connimb: in Comment: ad l. 3.

IV. Neq; etiam Scientia Philosophica mensuratur à personâ loquente, disputante aut scribête: magis attendendum n. est quid & qua ratione dicatur in rebus humanis, quam quis dicat, non namq; mancipia sunt liberalia hominum ingenia. Notandum tamen convenientissimum esse, ac valde tutum etiam *Tyrones* ac juniores de prudentiorum ac seniorum scriptis, quibus sunt *αιθηρία γεγυμνασμένα*, modeste & loqui & scribere. In reb: Divinis v. unius SS:^d testimonium infinitis rationum Philosophicarum momentis immane quantum præstat!

V. Itaq; in suo circulo pertinenter satis de eodem disseruit Stagirita l: 9. Met: c: Ult: *Non propterea quod nos te verè putamus album esse, tu albus es, sed propterea quod tu albus es, nos qui dicimus verum dicimus.* Sic non propterea Deus est unus essentia & trinus personis, quia homo Christianus credit Deum talem esse: *Sed propterea quia ita Deus existit & se nobis revelavit, Christianus qui corde credit & ore fatetur Deum esse trinum & unum, verum credit & confitetur.* conf. jac. Mart. Inst: Log: c. 5, can. 8 & 9.

VI. Quomodo verò mens nostra veritatem in ipsis rerum visceribus latentem & reconditam eruat, teneat & conservet, id hominum est sobriè Philosophantium ostendere. De modo autem accuratæ cognitionis disceptatorio nunc agimus, non intuitivo.

VII. Et quidem planiorem ac multo compendiosiore viam primò nobis monstrat indigitatque *Abstractio conceptuum à se invicem*: Impossibile n. est, ut in tanta rerum connexarum copia intellectus noster omnia uno actu & simul adæquatè percipiat, ideoq; abstractionis utitur compendio, dum u-

num

actio conce:
m a se invi:

num distinctè consideratur, altero tamdiu neglecto atque excluso, Vid. Scheibl: tract: præem: de Phil: in genere p. 25.

VIII. Hoc medio liberantur RES à conditionibus individuis & ἀπλῶς spectantur, concretæ & confusæ separantur, & ordinè atq; distinctè pensantur, οὐσατικὰ κὶ περιστατικὰ sejunguntur, totum à partibus, accidentia à se invicem, Essentia à suis modis, natura à vitij&adhærentibus imperfectionibus accuratè discernuntur, unde etiam distincti existunt conceptus. Sic E. G. Melius intelligitur quomodo Filius Dei semen Mulieris & integram naturam humanam, non tamen peccatum assumpserit. Sic nisi abstractionis beneficio, non facile refellitur Flacianismus, quo peccatum esse hominis substantiam contendebatur.

IX. Pariter contra blasphemias Photinianorum eodem artificio & abstractionis adjumento, humanitatem Christi integram & incorruptam esse novimus, quamvis propriam non habeat subsistendi rationem, sed ἵπὸς ἀσεί τῷ λόγῳ subsistat. Sic non negamus Christi humanitatem veram, ut criminantur Calviniani, quamvis eam negemus ita loco esse adstrictam, ut non possit esse in alijs simul: abstrahenda n. est substantia humanitatis ab accidentibus, & deinde accidentia ab accidentibus, h. e. ἀδιαισασία interna ab externâ, conf. Cundis, in Notis super comp. Hut.

X. Interdum etiam ultra mente factam præcisionem unius conceptus objectivi ab alio, opus etiam est abstractione unius ejusdemq; conceptus ultima & plenariâ, quod fit, dum ab uno eodemq; conceptu remouentur omnia quibus ratione subjectorum subest, accidentia reliqua, infirmitates & imperfectiones. E. g. Materia corporum

Αἰθέρια

2
Abstrac
ultima

rum naturalium simplicium ultimâ sui abstractione deprehenditur esse eadem & communis, licet prout reperitur in coelo & elementis jam sit determinata, ita tamen ut nullas sustineat transmutationes, nec etiam omnium formarum appetens receptaculû maneat, quod accurate aduersus intricatam Aristotelis definitionem materiæ primæ observavit Clarissimus *Sperlingius* in dissertatione de principijs corporum naturalium.

XI. Constat inter doctos *Iob: Brunomen Italum*, oratione commendasse Diabolum, quod omnium sanæ mentis hominum iudicio abominandum ac summæ impietatis erat: quamvis n. concreta illa vox, primo conceptu, & essentiam spiritualem, quæ à Deo creata, bona laudandaq; est (non enim de natura traductoris est, esse spiritum) & insignem præterea exorbitationem ac bonitatis defectum denotet: nihilò tamen minus, si ponderetur diaboli vox in ultimâ sui ac formali abstractione, nil aliud menti inculcat & repræsentat nisi vitium, criminationem & blasphemiam obtrectatoris, calumniatoris, impudentissimiq; delatoris; etenim *Ἐξ Βαλ, λέει*, unde derivatur, talis actus est, qui nihil involvit, ne dicam laude, sed ne ullâ planè vel minimâ excusatione dignum.

XII. Ex hoc fundamento deeedi controversia potest, orta inter *M. Licinium Crassum*, & *A. Mucium Scaevulam*, de constitutione Eloquentiæ, quorum ille in omni genere sermonis, in omni parte humanitatis dixerat Oratorem perfectum esse debere, h. est, neminem esse in oratorum numero habendum, qui non sit omnibus ijs artibus quæ sunt libero dignæ perpolitus. Hic v. contrarium censuit, quod ex ipsâ dialogica responsio-

sponsorione patet: *Non luctabor, inquit, tecum, Chrasse amplius.* Id enim ipsum quod contra me locutus es, artificio quodam es consecutus, ut & mihi quæ ego vellem non esse oratoris concederes: Et ea ipsa nescio quomodo rursus detorqueres, atq; oratori propria traderes.

XIII. Distingvendum nempe est inter *Oratorem* consideratum in *ultima sui abstractione*, & facile declaratur esse is, qui tantummodò in declamatorio est opere jactatus; Et consideratum *concretè*, prout jam est consummatus, qui ad dicendum omnibus ingenuis artibus instructus accedit. Inveniuntur namq; adhuc oratores intermedij, qui non sunt de genere palæstræ magis & olei, quam civilis turbæ ac fori, in forensibus scilicet rebus civilibusq; versati. Conf. Cic. L. 1. de orat.

XIV. Ideoq; etiam rectè faciunt & expeditè disputant illi philosophi, qui in *formalem terminorum rationem* diligenter inquirunt; & non acquiescunt, dum opus est, in ijs, quæ rebus sive conceptibus adjuncta sunt, prout in his vel illis subjectorum conditionibus existunt, sed ulterius progrediendo, omnia, à quibus conceptus iste abstractus est, evolvunt & expendunt, donec appa-
ruerit quidnam conceptus iste his omnibus commune habeat, quidve in suâ propriâ ideâ spectatus, de se, & præcisè formatus in suâ ratione definitivâ ultimâ importet. Sic varijs amputatis ac sepositis conceptibus, tandem ultima virtutis moralis forma deprehenditur esse ὁμοιότης seu congruentia cum ill. & rectitudo quædam, quamvis interrâ μεσότης quoq; virtutis naturam enunciet, prout Aristoteles docuit, hujus tamen essentiam magis immediatè sequi videtur quam constituere. Nemini tamen hac in parte præjudicamus. Vid: Meis. Phil. Sob. p. 1, Sect. 2. q. 2.

3
Ratio fo
lis term

XV. Hoc

XV. Hoc unico medio trobè observato, nescio num ullus sit error in philosophia, qui non facillè animadvertatur & profligetur, inquit Dn. D. Scharfius in pisp. de accurato philosophandi genere, præceptor & hospes meus, plurimum colendus, quem hic, honoris gratia, nuncupo.

XVI. Ex hujus ignoratione cognitionis quidam negârunt veras relationes in divinitatis personis posse haberi, quia in Deum non cadit accidens, formalem sc. Relationis rationem non perpendentes, prout sc. non in hâc vel illâ materia particulari reperitur, sed quatenus præcisa ratione in sua naturâ existat; diligenter n. notandum quod ratio non prædicetur de Deo secundum rationem inhærentiæ, ut in creaturis, quod est imperfectio; sed per modum ad aliud se habentis. Graewerus quæst. illust. Disp. 4. q. 4.

XVII. Ita sunt qui Deum esse substantiam inficiati sunt ex hujus ejusdem doctrinæ sive ignorantia sive perturbatione, cauſantes videlicet substantiam subijci accidentibus oportere, non attendentes quod substantia in sua præcissione formali sit Ens subsistens; subjectum verò esse accidentium, accidat ei foris. Erit E. Deus, si formalem substantiæ rationem concipias, propriissimè Substantia, cum & à seipso & per seipsum, quippe à nullo dependens, subsistat,

XVIII. Photiniani impugnant Mysterium Trinitatis divinæ ob unitatem essentiæ, obijcientes unum non esse communicabile pluribus. Verum perpendere deberent blasphemii homines unum formalitèr non inferre incommunicabilem sed indivisionem, ut loquantur Metaphysici: Unitas enim opponitur non communicationi sed divisioni.

XIX. De-

XIX. Deinceps non parum juvat intellectum in Dispp. & obscurarum controversiarum decisionibus, ipsa *Ampliatio Terminorum* seu vocabulorum, quæ contingit, dum terminus aliquis, data re cui non quadrat contractus, magis magisque extenditur & ampliatur, ut sine rei discrimine possit eidem accommodari.

XX. Sic Philosophiæ vox interdum disciplinas reales solum complectitur, estq; sapientiæ ac prudentiæ possessio; interdum latius diffunditur, idq; more antiquorum, qui naturæ obscuritatem, disserendi subtilitatem, vitam atq; mores, quæq; his adaptari possunt ea voce comprehenderant. vid. Cic. de oratore. Similitèr vocem principij definiunt quidam, unde aliquid est, sc. in tempore, aut fit aut cognoscitur. Sed cum patres appellaverint Deum patrem principium filij, photiniani arreptâ angustâ illâ definitione *συνπαροξεν* Filij temerario nisu negare ausi sunt, non perpendentes principium in ampliori & adæquatâ sui acceptione esse id à quò aliquid tanquam origine procedit quocunq; modo.

XXI. Hinc etiam constat, quam imprudentèr vel dolose potius egerit Reformatorum quidam, qui personarum divinitatis distinctionem realem negavit ob unitatem essentiæ: quasi nulla esse posset realis distinctio, nisi multiplicetur essentia: Nam oppositæ Relationes partim implicant plures essentias, ut in creaturis, partim unam saltim essentiam, ob amplitudinem termini à rei veritate extortam, sed plures tamen *ὑποστάσεις*, ut in Deo. vid. Gravv. p. mihi 60.

XXII. Quomodo verò Relatio ita dilatari possit & debeat, ut etiam personis div. adaptari queat, & tamen vera relatio manere, docet Aug. L. 5. c. 6. de Trin. dum ait: *Quamvis diversum sit Patrem esse & Filium esse,*

4.
*Ampliatio
terminorum*

non tamen est diversa substantia, quia hac non secundum substantiam dicuntur, sed secundum relationem, quod tamen relativum non est accidens, quia non est mutabile.

5
logia qua
entia
icitur

XXIII. Porro, qui accuratius philosophari gestiunt, Analogiam observabunt, potissimum verò illam quæ dicitur *Eminentia*. Sic, quoniam Deus & creaturæ in infinitum distent, necesse est ut inæquali ratione, sive per Analogiam quandam termini attribuantur Deo & creaturis. Quando E. Christus dicit: Nolite vocari Magistri, unus enim est Magister vester, per hujus informationis virtutem de *analogia perfectionis*, aliàs in genere *attributionis* dicta (est enim alia analogia *proportionis* de qua passim in Logicis) o. difficultas dubitationis tollitur; Nam ita absolutè verba non debent intelligi, tunc enim nemo appellari pater posset in genere humano, quia eodem textu unus noster esse pater perhibetur.

XXIV. Consistit autem illa *Eminentia analogia* in remotione omnis imperfectionis, & o. perfectionis attributione, fundaturq; in infinitâ rerum distantia, orta ex infinitis alterius extremi privilegijis.

XXV. De Manducatione orali corporis Christi, quod ea scilicet sit genus analogum mand. panis & corporis: Illa enim est physica & naturalis; hæc verò Mystica & sacramentalis, & tamen ore facta atq; realis. Item de generatione Filij Dei, quod ea sit reverâ & primariò talis, quippe quæ essentia ejusdem communicationem notat, aliorum verò generationes secundariò tales, Confule Jac. Mart. in Exercit: Met. l. 2. Ex, 4, th. 7. Conf. Gravv. cent. 1. Disp. 3. q. 6.

6
eratio
mini ab
i imperfectione

XXVI. Tandem in accurato philosophandi genere, Liberandi sunt termini ab omni imperfectione, præ-

præcipuè in applicatione terminorum ad conceptus divinos. Manifestum est enim apud omnes saniores philosophos, Deum non debere æstimari ex abjectæ creaturæ conditionibus. *Omnis igitur imperfectio termini prius removenda est, antequam Deo tribuatur, Et quæcunq; secundum imperfectionem in creaturis occurrunt, & tamen Deo attribuantur, secundum perfectissimam perfectionem prædicantur, inquit Thomas dist. 4. q. 1.*

XXVII. Sic Deus ipse, dum dicit Psal. 2. *Filius meus es tu, hodie genui te, imperfectionem omnem ac imbecillitatem eam quæ naturali generationi adhærescit, fuerentibus licet Socinianis, amolitur, & summam perfectionem æternæ generationi assignat.* 1. Etenim eam infirmitatem tollit, quæ ex carentiâ termini ad quem oritur, dum non dicit genero, sed Genui. 2. Id imperfectionis removet quod reperitur in nascentibus creaturis, nempe defectum actus nascendi, dum inquit *Hodie.*

*Huic æterno Dei Filio, cum Patre & Sp. S. to
st; Laus & gloria æterna!*

Auctaria Philologica.

I.

Consummati oratoris descriptionem hanc dedit M. Licinius Chraslus: *is Orator erit mea sententiâ, hoc tam gravi digno nomine, qui, quæcunq; res inciderit, quæ sit dictione explicanda, prudenter & compositè, & ornatè & memoriter dicat, cum quædam etiam actionis dignitate. Cic. Lib. 1. de orat.*

2. *Differentia inter Disertum & Eloquentem a M. A. Schævulâ statuta, magis Classicorum usu Authorum probari, quam è naturâ & vi vocabulorum inferri potest: Scripsi, inquit enim Disertos me cognosse nonnullos, Eloquentem adhuc neminem, quod cum statuebam disertum, qui posset satis acutè atq; dilucide*
apud

apud mediocres homines ex comuni quodam hominum opinio-
ne dicere: Eloquentem verò qui mirabilius, & magnificentius
augere posset, atq; ornare quæ vellet, omnesq; o. rerum, quæ ad
dicendū pertinerent, fontes animo ac memoria contineret. ibid.

3. Conjunctiones causæ, ut ὅτι, quia, propterea & similes, non
semper causam subindicant. E.g. Luc. 7. Remissa sunt ei peccata
multa, quoniam dilexit multum: ibi particula quoniam
non est αἰτιολογικὴ, sed συλλογιστικὴ, indicans dilectio-
nem esse notam, signum & argumentum, non causam vel me-
ritum remissionis peccatorum. Sic verba Iob. 12. Non crede-
bant in eum, ut impleretur sermo propheta Esaiæ, non sunt
αἰτιολογικὰ, sed ἐκβατικὰ, loquentia scil. de eventu.

A D

Nobili genere ingenioq; perpolitum Adolescentulum,
DN. NICOLAUM Gyllenstålpe/M. F.
discipulum mihi amicissimum, de accurato philosophan-
di genere, loco primitiarum, disputantem,

Incipit oppositam manibus qui reperere in arcem,
Solerti superat grande labore jugum;
Post tenet aërij, placidissima culmina montis,
Langvinda felici membra quiete levat,
Sic & amariciem rigidæ radice acerbam,
Qui gustat, glutit dulcicia mella favi.
Hoc Sophiæ asperioris iter Guldstolpie, pergas
Dummodò; post fellis pocula, nectar habes°.

L. M. g.

ENEVALDUS SVENONIUS

Gyldenb. Al. Eloq. Prof. ord.



Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto